Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2089
Quelle:
Copyright:



DL.

110 Codex chartaceus lat. hisp. Sec. XVI. f. rursus est Fascis *Opusculorum Theologici* potissimum *argumenti*, quae ordine percensebimus. I. *Cyclus aureus alias Speculum aureum. De beneficiatis per gratias exorbitantes in Curia Romana anno domini* 1404. *compilatus per quendam D. pragensem.* Incipit: *Reuerendissimis in Christo patribus et dominis, sacro sanctę Romanę ac vniuersalis ecclesię Cardinalibus* &c. *P: minimus et vtinam inter veros discipulos Jesu Christi planctum pro affectu et dolorem* &c. Descriptum dicitur in ora inferiore *fol.* 1. *Ex libro Carthusianorum Coloniae signato* N°. N. 87. sed mancum est, deficitque in L. I. c. 7. cum Libris III. constare deberet. Integrum, teste *Herm. von der Hardt, Conc. Constant.* T. I. P. 9. in *Praef.* ubi simul totus illius Conspectus exhibetur, editum est *inventa vix typographia*, dein per *Wolf. Wissenburgium Basil.* 1555. mox a *Goldasto* in T. II. *Monarch. S. R. Imp. fol.* 1527. et ab *Edw. Brownio* in *Append. Fascic. Rer. expet. et fugiend.* cooptatum. Omnes hi, aliique magno consensû autorem statuunt *Paulum* quendam *Anglicum* Decret. Doctorem, ut adeo necesse sit, aut titulum nostrum supra adductum falli, aut *Paulum* hunc cum aliis e *Wicleffi* palaestra *Pragam* transivisse, id quod *Hagecius* in *Chron.* de *Jacobo* aliquo, *Conrado*que ad an. 1404. commemorat. *foll.* 20. Adde *Codicem* seq.

II. *Dictata Dn. Melanchthonis in Epistolam Pauli Apostoli ad Rom.* Perpoliti et retractati extant hi Commentarii in *Opp. Philippi* P. III. *Witteb.* 1601. p. 883. f. *foll.* 60.

III. Sermo hispanicus *de Ascensione Domini* autore quodam *Licentiato Maldonato*, qui illum anonymo cuidam Magnati *(muy alto y muy poderoso Señor)* inscribit, vocatque *las primicias de mi trabajo. foll.* 7.

IV. *Pasquillus natione Romanus amator ueritatis princeps satyricorum Cęsarum perpetuus Romę locum tenens, nec non Gibellinę factionis constantissimus publicus promotor ac malorum Paparum uehementissimus insidiator S. D. illustri nobis dilecto Philippo Lantgrauio Hassiae* &c. Est Satyra prolixa subscripta *Romę VII. Decemb.* 1543. paene omnia utriusque Reip. turbidis hisce temporibus negotia tangens, praecipue res Caesaris cum Pontifice, Gallo, et Statibus Imperii, Concilium Tridentinum, Conventum Smalcaldicum, Udalricum Würtembergensem &c. Incipit: *Postquam Licaontem illum Lycoperanum, illum inquam, scelestissimum Germaniae Tyrannum expulisti, nihil de te aut foedere audiui* &c. *Lycaon Lycoperanus (λυκος Wolf*, Pera *Büttel) Henricus junior* Dux Brunsuicensis est, cujus fata apud *Sleidanum*, *Hortlederum*, *Seckendorfium* habes, quemque *Pasquil-*